



Kern 453 Med

Mr. Thema

1 Magnesia officin

2 " usi medici

3 Magnetism. Electric

4. Asparagus

5. Antipodagr. ambr

6. Flegelpilz

7. Heilquelle Owen

8. Seifkörner

9. Honbergsalz

10. Haematostylo Campece

11. Isländ. Moos

12. Ex. Speaculorum

13. Catechu

14. Sulium ust et. vti

15. Usus Canthariden i

16. Kaltwasser

17. Wasserkr. Fortinno

18. Pilze

20 19. Tränenfistel

21 20. Isländ. Moos

19 De Aqua Solitaria

Kern 453

(1-21)



Kern 453 Medizinische Dissertationen

| Nr. | Thema                      | Jahr  | Dissertant          | Präses            | Ort.                          |
|-----|----------------------------|-------|---------------------|-------------------|-------------------------------|
| 1   | Magnesia officin.          | 1779. | F. G. M. Brandner   | J. G. Gübler      |                               |
| 2   | " usi medic.               | 1780  | P. Gauditsch        | J. Heipertz       |                               |
| 3   | Magnetism. Electricität    | 1779. | C. F. Hostenbauer   | A. G. Plutz       | Leipzig                       |
| 4   | Asparagin                  | 1778. | J. G. F. Francius   |                   | "                             |
| 5   | Antipodag. Americano       | 1778  | Ch. W. A. Heimrich  | Ch. G. Gruner     | Jena                          |
| 6   | Pilgerpiltz                | 1778  | Ch. G. Whistling    | "                 | "                             |
| 7   | Heilquelle Owen (Wisthly)  | 1779. | F. B. Orlander      | Th. C. Ch. Kow.   | Tübingen                      |
| 8   | Leufkorne                  | 1780  | J. G. Zahn          | "                 | "                             |
| 9   | Homburger Salz             | 1778  | A. C. Reuss         | "                 | "                             |
| 10  | Haematostylo Campechiano   | 1780  | J. A. Weinreich     |                   | Erlangen                      |
| 11  | Inland. Moos               | 1780  | W. Ch. H. Cramer    |                   | "                             |
| 12  | Ex. Specacanthena          | 1779. | C. A. Meyer         |                   | Johanna                       |
| 13  | Catechu                    | 1779. | C. H. W. F. Familie |                   | "                             |
| 14  | Sulium ut d. vir           | 1779. | J. F. Schwens       | J. A. Murray      | "                             |
| 15  | Urus Canthariden innerl.   | 1781  | J. C. Stocker       |                   | "                             |
| 16  | Kaltwasser                 | 1780  | W. E. Baüer         |                   | "                             |
| 17  | Wasserk. Jordiner          | 1779. | Ch. F. Wuth         | J. W. Baumer      | Gießen                        |
| 18  | Pilze                      | 1777  | J. N. Helm          | F. A. Cuthens     | "                             |
| 20  | Tränenfistel               | 1779. | J. M. F. Wille      | J. M. Luther      | Erfurt                        |
| 21  | Inland. Moos               | 1778. | H. S. E. Resse      | W. B. Trunschhoff | "                             |
| 19  | De Aqua Solera Fachingensr | 1779  | Ch. F. Wuth         | Griessen          | Prüf. Jan 1778<br>Lauder 1780 |

Kern 453  
(1-21)

















(5)

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
SPECIFICO ANTIPODAGRICO  
AMERICANO  
NVPERRIME CELEBRATO.

---

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO  
D O M I N O  
CAROLO AVGVSTO  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE REL.  
C O N S E N S V  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRAESIDE

D. CHRIST. GODOFREDO GRVNER

SERENISS. DVC. SAXO-VINARIENS. ET ISENAC. A  
CONSIL. AVL. BOT. ET THEORET. PROF. PVBL. ORD.  
FACVLT. MED. ASSESS. ACADEM. IMP. NAT. CVR. ET  
MOGVNTIN. SCIENT. VTIL. NEC NON SOCIETAT.  
ACAD. PRINCIP. HASS. SODALI

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
RITE CONSEQVENDIS

A. D. XXVIII AVGVSTI 1808  
HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS  
PVBLICE DEFENDET

CHR. GVILIELM. ALEXAND. HEINRICH

ALSTEDTIO - VINARIENSIS

---

I E N A E  
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS



RECTORI ACADEMIAE

WITTEBERGENSI

INSCRIBENDI

FRUCTU ET UTILITATE

REVERENDISSIMO PATRI

DOMINO

CAROLO AVUSTRO

BYSSONUM

ACADEMIAE

CONSELY

GRATIA MEDICINA

PHYSICAE

D. CHRISTOPHORO

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

CHRISTOPHORO


PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
SPECIFICO ANTIPODAGRICO  
AMERICANO  
NVPERRIME CELEBRATO

---



§. I.

isera mortalium fors putanda est, quod  
quo magis patent morbis innumeris,  
eo facilius credant cuique medicum  
se professō, et vitam sanitatemque, qua  
nihil antiquius, nihil praestabilius  
esse debet, pharmacopolae circumforaneo, sacerdoti  
sciolo, futuri inopia deperdito, rustico impudenti vel  
militi

A





militi glorioso tradere non dubitant, vt feruent ac tueantur; Sed grauissimas imprudentiae poenas luunt. Timent mori, salui ac incolumes viuere gestiunt, et imperitos homines in consilium aduocant, quorum forte manus in omnem euentum rerum et effectuum parata est, lingua ad persuadendum aptissima, stultitia quaestus impudentiae summa. Verissime ergo SENECA \*): *Stultitia est, timore mortis mori. Venit, qui occidat. Expecta. Quid occupas? Quare suscipis alienae crudelitatis procurationem? Vtrum inuides carnifici tuo, an parcis?* Sic multi fiunt non vlla artis prudentia, sed stupore vulgi medici, et famam sibi acquirunt verbosis strophis. Omnium vero maxime inclarescunt, si remedia arcana, vniuersalia, specifica, panaceas, antidota, emplastra miraculosa cet. vendunt. Tunc enim in omnium ore sunt, impensius laudantur et commendantur fraterculis, amicis ac mulierculis istae merces lucrosae, studiosius comparantur inde ab vltimis terrae oris, auidius adsumuntur, vt vitalis aura conferuetur. Quae si qui rex magnus aut sapiens forte egregia atque salutaria inuenerit, quidni adstupeant ipsi ciues, et tentent? Nobilitatur, quod per regum manus et ora transit, et desinit illico esse nocens. Ergo non dantur speci-

\*) Ep. 70.





specifica? Non, nisi per credulitatem hominum. Nullus morbus semper idem est, nullus ab iisdem causis profectus, tot cuiusque differentiae, quot singulorum naturae, tam multiplex coniunctio et disiunctio rerum nocentium, ut, qui medicamento vno vnum morbum curare tuto, certo ac iucunde se posse gloriatur, vanus ac stultus sit, stultior, qui talia fanti aures porrigit. Fallitur vehementer, qui specifica medicamenta anxie anquirat ac emit tanto cum numerorum dispendio; neque fraudem subolet. Aut enim praestantiora notis sunt, aut eadem continent, quibus bonus quisque medicus dandum usus est. Illa celare hominis pessimi est; haec parabiliora sunt, quam quae ab impostore comparantur, ideoque magis concupiscenda. Atqui vero ista celata remedia fere inferiora sunt notis, saepe paria et eadem, experientia teste atque magistra, et certissime vilescunt, cum aperiuntur cupidis. v. c. Medicamentum virginis Stephens, anthelminticum feminae Nuffer rel. Ergo non opus est, ex Hispania, America, et sexcentis aliis locis adferre, quae coram sunt, et pedibus calcantur, et verendum incipiti est, cui placent talia condimenta peregre allata et studiose commendata.





## §. II.

Hinc nec *specificum antipodagricum Americanum* adeo magni habendum est, vt multis videtur, quibus gratum est, quod nouum est. Rite enim examinatum guaiaci resina constat, quae vbiuis in officinis obuia est et parabilis, praeter spiritum Taffiae; cui facile substituitur spiritus vini rectificatus. Haec a medicis inde ab eo tempore, quo lues venerea innotuit, variis in morbis, et podagra ipsa adhibita fuit, nullum vt dubium superfit, ciuibus fucum dedisse medicamento huius inuentorem, aut si mauis, imprudentem praeconem. Sed lubitum est, singula eius argumenta perconsere, deinde morbos allegare, in quibus a medicis dudum sumtum est et etiamnum sumitur, tandem ostendere, quam parum fidei ac laudis apud artis gnaros ferat.

## §. III.

Est vero auctor huius remedii quidam EMERIGON \*), regi Galliarum a fisco in insula S. Martini, qui, litteris

\*) Vide epistolas, si placet, in Journal de Medec. T. 47. p. 424. seq. et vers. germ. in *Samm. auserles. Abhandl. zum Gebr. pract. Aerzie*, B. III. St. 4. p. 587. seq. quam in seq. allegabimus. Duram, at verissimam Cl. BALDINGERI censu-



literis ad comitem NOZIERES et fratrem datis, spondet, se huius panacaeae vsu quotidiano et continuo \*) a podagra pessima prorsum esse liberatum, valere etiam ad omne morborum \*\*) genus, quod viscido debetur, eaque de causa quouis pretio comparari oportere, ne quod detrimentum sanitas capiat, falsa esse medicorum decreta \*\*\*), podagrae naturam esse incognitam, neque concedere illam valentioribus remediis, sed iisdem concitari, duci ulterius et deferri eo, vnde non semper liceat deducere; podagram eo magis perhorrescendam esse, quo magis inueterarit, dolorem doloris esse remedium cet. Quasi vero aduocati sit, nosse, quae medicorum sunt, et iudicare de rebus, quas ne per somnium quidem vidit.

A 3

§. IV.

cenfuram v. *Magaz. für Aerzt. St. 10. p. 904. seq.* Quae vero Cl. RÜLING *Hannöv. Magazin, St. 10. hoc de medicamento edixerit, equidem nescio, cum tales periturae pagellae huc non veniant.*

\*) *Verf. germ. Epist. 1. p. 590. et Epist. 2. p. 594. 595. Epist. 3. p. 599.*

\*\*) *Epist. 1. p. 590. Epist. 3. p. 601. sequ.*

\*\*\*) *Epist. 1. p. 588. sequ.*





## §. IV.

Formula medicamenti nobilissimi scilicet haec datur.

R: Tassiae Pintas tres i. e. Vncias XXXII.  
Gummi Guaiaci puluerisati Vncias binas

Mista in vase bene clauso liquefiant simul in sole per sex vel octo dies, identidem mouendo, donec gummi bene dilapsum fuerit. Tunc filtra liquorem per chartam emporeticam vel linteum, et immitte lagenulis egregie obturatis. D.

Cautiones vero praecipuae sunt, primum vt spiritus sacchari, per fermentationem paratus, cui Tassia nomen est, sumatur, nequaquam spiritus vini \*), quoniam ille vires habeat balsamicas, hic vero nullas, et longe debilior ac inefficacior sit; deinde vt eligatur optima resina Guaiaci et spiritus sacchari optimus, pernerus, in insula S. Martini \*\*) paratus, isque melior, ac is, quem nautae aduehunt, forte cum aqua marina mixtus; post vt spatium in vase supersit, ne inter fer-

\*) Epist. 1. pag. 590. et Ep. 2. p. 696. Quidam adiiciunt saccharum, quantum satis est ad feruorem et saporem mitigandum, vt ex praescripto Berolinensi huc misso iuebantur aegri. De quo tamen infra pluribus.

\*\*) Epist. 3. pag. 600. et 603.





mentandum disrumpatur; tandem vt cochlear vnum quouis mane ieiuno detur, citra vllum faporis ingrati fastidium, et binis horis post \*) iusculum lactis, quod praesentem morbum efficaciter leniat et futurum anteuertat.

§. V.

Praeter haec istud diuinum remedium debet quotidie ac continuo \*\*) deglutiri, per menses multos ac annos integros, vsque dum suetum accessionis tempus praeteriit, nisi velis in digestionem malam, dolorem capitis et recidiuam podagram incidere; at vero intermitteri, si quando materia podagrae exhausta \*\*\*) fuerit, posse tamen per interualla sumi, sic, vt tandem singulis hebdomadibus duo cochlearia sufficiant ad eliminandam leniter cruditatem et praecauendam humorum congestionem; sub principio accessionis per aliquot dies dari quotidie doses binas largas \*\*\*\*), quo breui furor mali coercetur, larga excretionem superueniente, quin sub ipsa

\*) Epist. 1. pag. 591.

\*\*) Epist. 2. pag. 594. sequ. et Epist. 3. p. 597.

\*\*\*) Epist. 3. pag. 598.

\*\*\*\*) Epist. 2. pag. 595. et 596.





ipsa accessione \*), quippe sic iudicatio concitetur, et debilitas summa, post exacerbationem alias residua, brevissime tollatur; item dosin augeri minuiue pro temperie aegri et effectu, ideoque in sanis minorem, in vitio stomachi ineunte per aliquot dies maiorem, nec non auctiorem requiri, si aluum laxam velis; immo vero et extus membris nodosis apponi aegri cum commodo sub emplastriforma \*\*) saponem album liquatum, cui interdiu ac noctu superhabentur manicae et focculi vna cum vsu interno guaiaci. Prodest etiam praeclare haec medicina sub quouis caelo, calido ac frigido \*\*\*) neque perhorrescenda est calida eius indoles \*\*\*\*) vel incommoda leuiora, sub principio oriunda. Quoad victus rationem †), fugienda est iners otium atque quies, nec non gulae intemperantia, sit contra frugale prandium ac sine dilectu, sint cibi parabiles, pingues ac macri, dulces, saliti vel aromate conditi, frigidi vel calidi, citra noxam, nisi modum excedas, sit coena parca vel nulla, potus genus aqua et vinum burgundicum vetus, somnus moderatus, viten-

\*) Epist. 3. pag. 597. n. 3. et p. 598.

\*\*) Ib. pag. 598. sequ.

\*\*\*) Ib. pag. 600. sequ.

\*\*\*\*) Ib. pag. 597. n. 2.

†) Epist. 1. pag. 591.



videntur, balnea et frigida, et calida \*), pedes nec imprudenter refrigerenter, nec humescant: Ex his enim morbus facile recrudescit.

§. VI.

Solet hoc remedium sub auctore EMERIGONE inducere alacritatem, robur, bonum corporis habitum, appetitum vegetum, digestionem praeclaram, somnum placidum\*\*), tollere membrorum infirmitatem\*\*\*), nodos articulorum et immobilitatem, dolores vagos, graues nouae accessionis praenuncios, resoluerе pituitam, et reiectu eius imminuere ructum, acorem et digestionis vitiatae noxas, augere screatum\*\*\*\*), prodesse in morbis pituitosis †), ideoque ipsam podagram in classe hac reponendam videri.

§. VII.

Ex quo consequitur, teste LOVSTAN chirurgo ††), hunc liquorem multum proficere ad morbos a prauis humo-

\*) Epist. 1. pag. 592.

\*\*) Epist. 3. pag. 603.

\*\*\*) Ib. pag. 590.

\*\*\*\*) Epist. 1. Pag. 591.

†) Epist. 2. pag. 593. sequ.

††) Epist. 3. pag. 601. sequ.

B





humoribus natos, ad malum coxarium, ad arthritidem, catarrhum, citra recidiuam, nec ipsis delicatulis ac infirmis exceptis, ad tumores tunicatos, et magnos, et ueteratos, ad quamuis doloris colici formam, ad chironia ulcera, et ipsam dissolutionem sanguinis, familiarem Nigritis. Haecenus bonus ille EMERIGON. Iam vero videamus, quatenus ista specifici antipodagrivi remedii praeconia certa sint et omni exceptione maiora.

### §. VIII.

Primum est, quod moneamus, hanc medicinam non adeo nouam esse, ut aduocato visum est. Notissima enim est guaiaci vis inde ab eo tempore, quo lues terribissima apparere in Europa coepit. Irritis innumeris remediis, inuentae et in artem introductae sunt variae radices resoluentes vel inuoluentes, puta, radix chinae\*), cassaparillae\*\*), saponariae\*\*\*), bardanae\*\*\*\*), et inter has omnium maxime lignum sanctum s. guaiacum †), quod

\*) *Vesal. Ep. de rad. Chin. p. 548-598. Coll. Luis.*

\*\*) cf. *Script. vet. de morb. vener. et inter. recent. Fordyce Med. Obs. p. 149. sq. T. I. et Boehm Diss. de var. syphilit. therap. Argent. 1771.*

\*\*\*) *Sennert. Prax. Med. VI. P. 4. c. 17.*

\*\*\*\*) *Riuer. Obs. Med. Comm. 41. p. 342. Opp.*

†) Cf. *FERR* alique in *Coll. Luis.*





quod VLRIC. AB HVTTEN \*) nobilitavit, et impensius  
collaudarunt STEPH. FERRVS \*\*), ANTON. GALLVS \*\*\*),  
ANT. MVSA BRASAVOLVS et ALEX. FONTANA \*\*\*\*), CONSAL-  
VVS FERRANDVS †), IO. MANARDVS ††), et praeter  
hos ceteri quique luis venereae scriptores, NICOL. MAS-  
SA †††), NIC. POLL ††††), ALOYSIVS LOBERA \*) LEON.  
SCHMAI \*\*), BENED. FAVENTINVS \*\*\*), GABR. FALLO-  
PIVS \*\*\*\*), BENED. RINIVS †), BERN. TOMITANVS ††),

B 2

MICH.

\*) De morb. gall. cur. per administrat. Lig. guaiac. p. 239.  
T. I. Coll. Luif.

\*\*) De morb. gall. et ligni sancti nat. et vsu, Basil. 1538. et  
p. 347. T. I. Coll.

\*\*\*) De lign. sanct. non permiscend. p. 392.

\*\*\*\*) De morb. gall. c. Alex. Fontanae quaest. de ligno sancto,  
p. 564.

†) De lig. guaiac. p. 308.

††) Epp. de lign. Indic. p. 521.

†††) De morb. gall. c. 2. p. 53. sequ. T. I. Coll.

††††) De cura morb. gall. per lign. guaiac. c. 7. p. 212. sequ.

\*) De morb. gall. c. 5. p. 323. sequ.

\*\*) Ib. c. 3. p. 333. sequ.


\*\*\*) Ib. c. 8. p. 546. sequ.

\*\*\*\*) Ib. c. 39. p. 687. sequ.

†) Confil. de morb. Gall. p. 25. seq. T. II. Coll. Luif.

††) De morb. gall. L. II. 16. p. 127. seq. T. II.





MICH. IO. PASCHALIVS \*), PROSP. BORGARVTIVS \*\*),  
 ALEX. TRAIAN. PETRONIVS \*\*\*), LEON. BOTALLVS \*\*\*\*),  
 AVGER. FERRIVS †), PETR. HASCHARDVS ††) cet. Omnes  
 enim adducere nec licet, nec lubet, et cuique tyroni  
 notum est, rasuram illam et resinam guaiaci tantam ha-  
 bere vim resoluentem, quantam vix vllud aliud. Ergo  
 nec noua laus *virium* est. Dudum enim vario modo  
 variaque forma datum aegris est, vt obseruatores vete-  
 res ac recentiores, item omnes fere scriptores, qui in  
 materia medica versantur, satis superque docent. Si  
 ergo bonus EMERIGON †††) gummi naturali siue resi-  
 nae, qualis in officinis prostat arte facta, vim sudorife-  
 ram, aperientem, exsiccantem, purificantem, roboran-  
 tem, pituitae contrariam, stomachicam cet. inesse con-  
 fitetur, nihil nobis edicit, nisi quod dudum lippis ac  
 tonsoribus notum erat, et ipsi primi luis venereae au-  
 ctiores

\*) Ib. p. 147. sequ.

\*\*) Ib. c. 14. p. 181. sequ.

\*\*\*) De morb. gall. L. IV. c. 1. sequ. p. 80. ad calc. T. II.  
 Coll. Luif.


\*\*\*\*) Luis ven. cur. rar. cap. 29. Paris. 1563. et append. Coll.  
 p. 44.

†) De Pudendagra, c. 15. p. 58. Append.

††) De morb. gall. c. 4. seq. p. 73. l. cir.

†††) L. cir. Epist. 2. p. 593.




  
 Stores similiter docuerant: Si signa in medium profert, unde intelligas, lignum \*) bonum sit, an malum, integrum, an corruptum rel. ne hic quidem princeps habendus est. Eadem enim leguntur apud auctores istos, et maxime apud NIC. MASSAM \*\*): *Est, ut docuit experientia, calidum, aperitiuum, diureticum et sudoris prouocatiuum, estque malarum humiditatum diuersarum resolutiuum, et exsiccatiuum, et est lenitiuum, et abstersiuum, et ventris solutiuum, si ex puluere ipsius drachmae quatuor vel plus quis sumserit. Et saepissime est restrictiuum -- et confert stomacho, ex multo phlegmate laeso, corrigit vitia hepatis et splenis, mundificat sanguinem, et per ventrem educit materias diuersae corruptionis, et maxime frigidas cet. Quocum consentiunt fere omnes insequentes medici. Nec iniuria. Inest enim guaiaci rasurae decoctae, cum primis resinae, summa resoluendi viscida potestas, eaque de causa facile intelligitur, nec istos effectus negari posse, nisi quis naturae vias se ignorare confiteatur.*

B 3

§. IX.

\*) L. c. p. 593.

\*\*) L. cit. c. 3. p. 54. cf. *Bened. Rinius* Consil. de morb. gall. p. 25. T. II. Coll.





## § IX.

Idem sentiendum putamus de *morbis*, ad quos guaiacum profecisse creditur. Vera sunt, quae EMMERIGON dicit, sed perantiqua, quippe iam CONSALVVS a) primus guaiacum descripsit et adhibuit, et naturae eius perapposita. Nam si valenter resoluit, quidni et tollat, certe minuatur omne morborum genus, quod a pituita oritur? Quidni multum faciat ad hanc stomachi infirmitatem, indeque oriundam inappetentiam ac digestionem tardam, ad aluum citam, ad colicum dolorem, nisi ad omnem omnino, ut praeco falso ait, tamen ad pituitosam, ad anhelitum humidum et tussim humidam, ad cachexias et ulcera antiqua? Quidni, resoluta et reiecta pituita, appetitum reddat haud leuem et corporis habitum meliorem? Prius enim proprium remedio valenti est, posterius per se patet. Neque vero hic desunt testes ex pristinis seculis, qui eandem medicinam iisdem in morbis impensius commendarunt, puta in *lue venerea* noua et inueterata omnes fere, in *cutis vitiiis* b), *scabie* c) et ipsa *lepra* d), *doloribus membrorum* e),  
*ulceri-*

a) Hist. Indiar. X. 2. cf. Fallop. 1. cit. c. 39. p. 687. T. I. Coll.

b) Massa 1. cit. c. 3. p. 54.

c) Rinus. Consil. p. 25. T. II.



*ulceribus f), tremore, stupore ac resolutione neruorum g),  
cachexia gg), marafmo h), angina pituitosa i), lippitu-  
dine k) vertigine l), cephalaea m), fistula lacrumali n),  
asthmate o), calculo p), cruditate ac imbecillitate ven-  
tricoli*

- d) *Massa* l. cit. *Hutten* ex *RICII* narratione ib. p. 263. *Lobera*  
l. cit. c. 4. p. 323. *Ferrus* L. II. 27. p. 372.
- e) *Massa* ib. *Ferrus* l. et p. cit. *Fallop.* l. cit. c. 42. p. 689. I.  
*Rinius* p. 25. T. II. Coll.
- f) *Massa* ib. *Hutten* l. cit. c. 25. sequ. p. 262. *Ferrus* L. II.  
c. 11. p. 360. *Rinius* ib. p. 25. T. II.
- g) *Massa* ib. *Hutten* ib. p. 263. *Lobera* l. c. *Ferrus* L. II. c. 7.  
p. 364. *Fallop.* l. cit. c. 48. p. 693. *Rinius* ib. p. 25. T. II. Coll.
- gg) *Massa* ib. *Fontana* ib. qu. 4. p. 612.
- h) *Massa* ib. *Hutten* l. et p. cit. *Ferrus* l. cit. L. I. c. 8. p. 351.  
et L. II. c. 15. p. 368. *Fontana* l. c. quaeft. 4. p. 612.
- i) *Massa* ib. *Lobera* l. cit. *Fontana* qu. 6. p. 613.
- k) *Ferrus* L. II. c. 9. p. 366. *Fallop.* l. cit. c. 41. p. 689. et  
c. 48. p. 693. *Rinius* ib. p. 26.
- l) *Ferrus* L. II. c. 5. p. 362. *Fallop.* ib. c. 42. *Rinius* l. c.  
p. 26.
- m) *Ferrus* l. c. L. II. c. 1. p. 358. *Fontana* l. cit. *Fallop.*  
l. cit. c. 48. p. 693.
- n) *Fallop.* l. cit. *Rinius* l. cit.
- o) *Massa* ib. *Hutten* ib. *Lobera* l. cit. *Ferrus* L. II. c. 14.  
p. 367. *Fontana* l. cit. *Fallop.* l. cit. cap. 48. p. 693.  
*Rinius* l. cit.
- p) *Massa* ib. *Hutten* l. c. p. 262. *Lobera* l. cit. c. 4. p. 323.





tricoli q), ardore r), dolore colico rr), obstructione hepatis s) et melancholia t), splenis duritie u), febre intermittente v), vermibus w), morbis uteri x) ac sterilitate y), epilepsia yy), denique in ipsa podagra z) et chiragra zz), arthritide a), morbo coxario b), rel. Pudeant ergo credu-

- q) Hutten l. et p. cit. Rinius l. c. p. 26.  
 r) Rinius Confil. de morb. gall. p. 26. T. II.  
 rr) Fontana l. c. quaest. 4. p. 612. Rinius l. c. p. 26.  
 s) Massa l. cit. p. 66. et 67. Hutten l. c. p. 262. seq. Lobera l. cit. c. 4. p. 323. Ferrus L. II. 19. p. 369. Rinius ib. p. 26.  
 t) Hutten l. et p. cit. Ferrus L. II. c. 4. p. 362. Rinius l. c. p. 25. sequ. T. II.  
 u) Lobera l. cit. Rinius l. c. p. 26.  
 v) Rinius l. c. p. 26.  
 w) L. cit.  
 x) Ferrus L. II. 22. p. 370. Rinius l. c. p. 26.  
 y) Ferrus L. II. 23. p. 371. Rinius ib.  
 yy) Hutten l. c. p. 263. Ferrus l. cit. et L. II. c. 6. p. 363. Fallop. l. cit. c. 48. p. 693. Rinius l. c. p. 26. T. II.  
 z) Massa l. cit. p. 67. Hutten l. cit. p. 263. Lobera l. cit. Ferrus l. c. Fontana l. c. quaest. 4. p. 612. Fallop. l. cit. c. 29. p. 687. et c. 48. p. 693.  
 zz) Massa l. cit. Fontana ib.  
 a) Fontana ib.  
 b) Fallop. l. cit. etsi negat, hoc efficere posse guaiacum; sed id



credulitatis, qui demumcunque hac panacea diuina et recens detecta diram nodosamque podagram abigendam curarunt.

§. X.

Nihil ergo hac in medicina noui est? Nihil, nisi forte liquor, cuius ministerio resina ex ligno extrahitur. Neque hoc ita dictum velim, quasi primi auctores hoc artificio prorsus caruerint. Etenim etsi crebrius utebantur decoctione triplici *c*), cum et sine maceratione *d*), calida vel frigida, raro electuario *e*), floribus *f*) saccharo conditis, syrupo *ff*) ex foliorum succo, puluere *g*) atque pilulis *h*) rarius, ex vino *i*) affuso et aqua destil-

id forte per seculi errorem, cum quidam lignum guaiac. a sancto differre putarent. cf. c. 48. p. 693. *Rinuius* Consil. p. 25. T. II. Coll.

*e*) *Massa* l. i. cit. c. 9. p. 64. sequ. *Fallop.* l. cit. c. 46. p. 691. T. I. *Franc. Frizimelica* l. cit. p. 35. *Bern. Tomitan.* lb. c. 16. p. 128. sequ. *Petr. Hascard* lb. c. 6. p. 74. Append.

*d*) *Fallop.* l. cit. *Tomitan.* l. cit.

*e*) *Lobera* l. cit. c. 7. p. 324. T. I.

*f*) *Ferrus* l. cit. c. 18. p. 354. T. I. *Fallop.* p. 689.

*ff*) *Ferrus* ib. *Pasthal.* p. 147. T. II.

*g*) *Massa* l. c. cap. 5. p. 56. T. I.

*h*) *Lobera* l. cit. c. 8. p. 325. *Ferrus* L. I. 18. p. 354. sed verterque hanc formam reprobendam censent.





destillata *k*) rarissime; tamen non desunt loci, in quibus et resina guaiaci memoratur, et additio spiritus vini. Sic apud AVGER. FERRIVM *l*) est oleum ex ligno, apud FONTANAM *m*) modus praeparationis *n*) ac vires, decoctio cum vino et aqua ardente apud ALOYS. LOBERAM *o*), et apud ANT. GALLVM *p*) cum vini quinta essentia. Est etiam, vbi iubent de coqui lignum cum herbis *q*), aromatibus *r*), medicinis purgantibus *s*), iure pulli *t*), mel *u*) ac saccharum *v*) admisceri, vt submiremur, quid

*i*) *Massa* l. c. p. 63. et 69. *Lobera* l. cit. c. 8. p. 325. *Fallop.* ib. c. 47. p. 693. *Ferr.* L. IV. 4. p. 383. *Fracantian.* l. c. p. 730. T. I. *Tomitan.* l. c. p. 129. T. II.

*k*) *Massa* l. c. p. 57. *Fracantian.* p. 730. T. I. *Tomitan.* ib. p. 129. T. II.

*l*) De Pudend. l. I. 15. p. 59. App. cf. *Gallum* c. 5. p. 416. T. I.

*m*) De Lign. Ind. quaest. I. p. 613. T. I. *Fallop.* c. 43. p. 690.

*n*) Ibid.

*o*) L. cit. c. 8. p. 325. T. I. vbi hunc Italorum morem fuisse docet.

*p*) L. cit. c. 6. p. 418. T. I.

*q*) *Fracant.* p. 730. T. I.

*r*) *Tomitan.* p. 129. T. I.

*s*) *Fracant.* l. cit.

*t*) *Massa* l. c. p. 63. et 69. *Fracant.* p. 730.

*u*) *Lobera* l. c. cap. 7. p. 324.

*v*) *Petron.* L. IV. 2. p. 83.



quid sit, quod adeo temerarius in affirmando EMERIGON sit, adeo vanus in commendando, vt corona ciuica dignissimus videri velit. Nouerunt eadem patres, nouerunt clarissimi quique medici tales medicamenti virtutes, etsi cautius cum eo mercantur, quia nullum in re medica datur, quod sine vlla aegri morbike ratione opitulari possit.

§. XI.

Ex quo colligitur ratio, cur medici resinam quaiaci spiritu resolutam non adhibent. Perquam nauseosa est haec potio, ipso affirmante EMERIGONE <sup>w)</sup>; praestat ergo decoctio vel resina in catapotia efformata. Sin vero mirifice placeat spiritiuosa medicina, non opus est taffia, quicquid contra dicat medicinae laudator. Idem enim facit spiritus vini rectificatus, cuius est resinam extrahere ex intimis ligni penetralibus. Falsus ergo est, dum gummi minus bene nominat: nam spiritibus hoc minime obnoxium est.

C 2

§. XII.

<sup>w)</sup> Ep. I. p. 590





## §. XII.

Quin nec illud proprium medicinae instaurationi est, quod aluum *x*) moueat, appetitum *y*) augeat, corpus nutriat *z*), inunctione *a*) membra nodosa tollat, et dolorem minuat, etiamsi nulla luis venereae suspicio subsit. Principes enim auctores eadem docent, at vero non promiscue, ut americanus iudex, sed addita cautione, aluum modo citari, modo sisti *b*), liberaliter cibandum *c*) aegrum esse, caute tamen, ne qua noxa subnascat, (id quod etiam nuper Cl. BALDINGERVS *d*) et editor Lipsiensis *e*) egregie ostenderunt). Quid? quod etiamsi hanc guaiaci resinam dari posse

*x*) *Massa* l. c. cap. 3. p. 54. T. I. *Petron.* L. III. 2. p. 86. ad calc. Coll.

*y*) *Massa* ib. c. 3. p. 54.

*z*) *Massa* l. c. cap. 7. p. 58. *Ferrus* ib. L. I. c. 7. p. 351. *Fontana* l. c. quaest. 4. p. 612. T. I.

*a*) *Massa* ib. c. 8. p. 59. *Pascal.* ib. p. 204.


*b*) *Fallop.* l. cit. c. 56. p. 695. T. I.

*c*) *Fuchs.* ib. p. 516.

*d*) *Magaz. für Aerzt.* l. c. p. 907.

*e*) L. c. p. 387. not.





se dicant cuiusque aetatis *f*) hominibus, pueris *g*),  
gravidis *h*), lactentibus *i*), sensibus *k*), quo-  
cunque anni tempore *l*) ac caelo *m*), eodem mo-  
do, quo scriptor franco-gallus, tamen vna addunt  
quam diligentissime, calidam esse medicinam, at-  
que exficcare corpus *n*),<sup>1</sup> hinc fugiendos cibos  
salitos *o*), fugiendum aerem valde calidum ac  
frigidum *p*), adhibendam in iis hominibus, quos  
pituita male tenet *q*) cet. Vnde consequens est  
ac consentaneum, cum haec vere naturaequae ap-  
posite dicta sint, pessime facere, qui omnibus om-  
nino podagricis, phlegmaticis aequae ac cholericis

C 3

et

*f*) *Massa* l. cit. c. 3. p. 55. *Fracantian.* l. c. p. 731.

*g*) *Ib.* et p. 62.

*h*) *Ib.* et p. 62.

*i*) *Ib.*

*k*) *Ib.*

*l*) *Ib.*

*m*) *Hutten* l. c. cap. 13. p. 251. T. I.

*n*) *Pascal.* l. c. p. 205. *Victor.* *ib.* c. 8. p. 547.

*o*) *Massa* l. cit. c. 6. p. 56.

*p*) *Fracantian.* *ib.* p. 731.

*q*) *Fontana* l. c. Qu. 4. p. 612. T. I.





et summe irritabilibus, hanc medicinam dare non erubescunt. Noui enim, quosdam hac de re pessime se habuisse, omnium maxime femellas.

§. XIII.

Abeat igitur et res suas agat feliciter, qui hanc medicinam nauseosam quotidie sumi iusserat, vsque dum materia morbi excussa sit. Abeat, qui demum cunque calidam eam impense ac promiscue commendarat. Damna enim hinc varia oriri debent. Et si dicendum, quod res est, equidem existimem, sub accessione non tuto dari resinam guaiaci posse, ne in pituitosis quidem, extra accessionem forte, si caute sumatur et cum victus ratione diligentissima. Interim etiam confitendum est, eam in iis aegris, quos hac panacea vsos fuisse audio, nec morbi fomitem prorsum extinxisse, nec aliam vtilitatem attulisse, praeter lenimen doloris. Quod vero vtrum inde repetendum sit, nec ne, iam non attinet multis anquirere, cum eadem sine guaiaci vsu eueniant. Sed largi simus. Concedamus, hoc doloris impetum frangere, transpiratione membri affecti reddita, num ergo specificum nominandum est? Alias enim tot haberemus  
poda-



podagrae specifica, quot valent ad abigen-  
dam humoris pessimi stasin, inflammationem  
partium minuendam, sudoremque inducendum.  
Plus forte exactiori victus obseruationi tribuas,  
minus ipsi medicamento, ideoque iterum eo deue-  
nimus, vnde progressi fueramus, firma et certa ef-  
se medicorum de podagrae natura et medendi via  
placita. Verissimum hinc est NIC. MASSAER) effa-  
tum: *Data podagricis decoctio ligni (resina guaiaci  
cum taffiae) alleviat dolorem, abbreviatque paroxy-  
smos, non tamen ex toto liberat.*

§. XIV.

Quare in eam ingredior sententiam, illud spe-  
cificum antipodagricum Americanum solum profi-  
cere posse ad eos podagricos, quibus pituita tenax  
et crassa molesta est. Hac enim via resolui et per  
varia corporis emissaria expelli debet, puta per  
vrinam et aluum, maxime per sudorem; minus  
tuto dari, vbi pituita non male habet, vel rigidi-  
tas partium solidarum valde vrget, vbi iam vehe-  
mens

\*) L. cit. c. 9. p. 67. vbi simul adferuntur quaedam obserua-  
tiones huc pertinentes.





mens febris et corporis tenuatio subest, sensilitas summa et membrorum immobilitas. Immo vero cum hodie per luxuriam et illicitam vel nimiam venere instrumenta corporis vniuersi, in primis digestionis, incredibile, quantum fracta et infirmata sint, mirum esse debet nemini, resinam guaiaci vel ipsam duram podagram mitigare posse. Saepissime enim eadem illa materia, quae podagram facit, est miasma venereum variè immutatum, varia sub forma Protei more aegros ac medicos ludificans. Quod cum contendo, non vereor eos, qui tales morbos venereos laruatos s), ideoque et ipsam arthritidem veneream prae fracte negant. Nihil enim facilius est, quam negare, difficilius, per experimenta certa et omni exceptione maiora sententiam abhorrentem confirmare.

§. XV.

Penfitatis ergo aequa lance commodis, quae ab hac medicina redundare in podagricorum genus ferun-

s) Cf. si placet, inter nuperrimos script. Cl. *Baldinger Pr. Virus ven. ab amore meretric. vener.* Gott. 1778. et *Hausmann Diss. De morb. vener. laruatis* ib. Quo etiam pertinet optimi iuuenis, *Hoffmanni, Com. De gonorrh. virul. indole vere vener.* Ien. 1778. §. 10. p. 18.



feruntur, non possum non adfentire medicis, in arte sua clarissimis, maxime CADOGANT), qui prudentem sex rerum non naturalium vsum, victum tenuis materiae et abstinentiam a coena lauta, carne, vino, venere immoderata, impense laudant, medicamenta vero nulla, nisi quae digestioni opitulatur. Quo referas amara quaeque, et sic dicta stomachica, quae, dici vix potest, quam multum conferant ad materiam podagrae subigendam et euacuandam. Id quod saepissime adsecutus sum sola infusione radicis gentianae rubrae ex vino vel cereuisia, ideoque lubentissime carui medicamentis, quae aut auri sacra fames ac lucri studium, aut mala medicastorum sedulitas in artem introduxerat.

§. XVI.

Est ergo ista medicina ex America allata nec noua, nec adeo magni habenda, nec secura vbi- que. Erit breui tempus, vt vilescat non satis apta podagrae furiis et tormentis, tradaturque obliuioni, quam dudum sexcentae aliae expertae sunt.

D

1) *Abh. von der Gicht*, Franck. 1772.





sunt. De quo praeclare LVCIANVS u ) podagram  
loquentem fingens :

*Ex quo mortalium fuit genus,  
Omnes meas vires retundere gestiunt,  
Omnemque turbant pharmacorum industriam,  
Alius enim in me aliam tentat sollertiam,  
Plantaginem terunt, apiique semina,  
Foliaque lactucarum et agreste pepilon,  
Et marrubium, et potamogitona:  
Alii cnidas terunt, alii symphytum,  
Lentes alii de stercore lectos illinunt.  
Hos coëta pastinaca foliaque persica,  
Hyosciamus, papauer et bulbi iuuant  
Cortexque pomi punici, malicorium,  
Et psyllium, thus, ellebori radix, nitrum,  
Et mixta vino tilia, collamphacos,  
Et gyrene, simulque galla cupressina,  
Et panis hordeaceus atque brassicae  
Crudae folia, gypsus gari liquaminis,  
Et stercore siluestris caprae, finnis hominis,  
Farina fabarum, flos quoque lapidis Asii.  
Alii rubetas quique vocantur aranei*

*Ma.*

u) Tragopodagra, p. 694. seq. T. III. ed. Basil.



*Mures, lacertas atque mustelas coquunt,  
 Ranas, hyaenas, tragelaphos, vulpeculas.  
 Cuius metalli non pericla sumta sunt?  
 Quis non probatus humor est mortalibus?  
 Aut cuius inexplorata lacruma est arborum?  
 Animalium omnium ossa, nerui, tergora,  
 Adeps, cruor, medulla, lotium, merda, lac.  
 Bibunt alii numero quaterno pharmacum,  
 Alii per octo, perque septem plurimi.  
 Alius bibens sacram repurgari studet,  
 Aut carminibus animum adhibens illuditur.  
 Iudaeus excantat fatuum nactus alium:  
 Rursus alius a fonte remedium petit.*

Quam medicinam si qui podagrici falsam, irri-  
 tam et forte irritantem inuenerint, discant aliquan-  
 do, etsi ferius, crudelem istam podagram non spe-  
 cificis remediis, non guttulis rhabarbari vel olei  
 kaieput domari, sed sobrietate ac patientia diu ferri.  
 Parui est animi, quaerere in disitis locis medici-  
 nam, quam natura cuique sine numis dedit.





  
THESES MEDICAE

- I. *Miasma gonorrhoeae non natura sua, sed sola modificatione diuersum ab eo est, quod luem constituit, et alterum in alterum transformari potest.*
- II. *Instititiae variolae praeferendae sunt naturalibus, etiamsi non semper periculi expertes.*
- III. *Medicina veterinaria medico ignominiosa non est.*
- IV. *Medicina hodierna fere empyrica est, ideoque male ominosa.*
- V. *Observationes plurimae recentiorum medicorum aut fictae sunt, aut ab experientia vera alienae.*
- VI. *Carceres academici prorsum aduersi sanitati sunt.*
- VII. *Balnea frigida et natatio frigida mire proficiunt ad corpus firmandum.*
- VIII. *Victu aegri plures curantur, pauci medicina.*
- IX. *Historia naturalis, qualis vulgo in academiis traditur, a medici persona abesse potest.*

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
C A N D I D A T O  
s.  
P R A E S E S

**V**ehementer eos suspicere soleo, qui, dum medicinae nomen dant, non prorsum negligunt pharmaciae studium. Habet enim tantum voluptatis ac utilitatis in ipsa arte facienda, ut, si quis ea careat, identidem offendat necesse sit. Gratissimum mihi ergo fuit, cum **TE** utramque diligenter coniunxisse et haud poenitendos profectus fecisse intelligerem. Qua de re nec deesse volui precibus **TVIS**, quibus me ducem ac comitem disputationis publicae esse postulasti. Nihil enim magis in votis est, quam ut commilitones carissimi humilia spernere et ad altiora adspirare contendant, optimos in quaque disciplina magistros sequantur, ultra pyxidem et formulam medicamentariam sapiant, et diligentissimi medicorum lectione animum praxi aptiorem reddant. Hac via sola nobis licet egregie proficere. Abi igitur, **VIR PRAECLARISSIME AC DOCTISSIME,**  
ad





ad patrios lares bonis sub auspiciis, res TVAS age felici-  
ter, et nobis in posterum fauere perge. Scripsi e  
musco a. d. vi. Calend. Septembr.

CICIDCCCLXXVIII.



CLARISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO

AMICO SVO SVAVISSIMO


S. P. D.

IOANNES CHRISTIANVS STARKE


MED. AC PHILOS. DOCTOR

Quid est, quod hominem magis ornare eiusque digni-  
tatem mactare ac supra alios efferre possit, quam probitas  
morumque integritas; quam doctrinae solidioris hodie fere  
neglectae amor? Est, vt mihi videtur, harum virtutum maxi-  
me necessariarum defectus valde deplorandus causa tot tan-  
torumque in re litteraria malorum, est profecto studiorum  
lapsus atque calamitas. Quid, quaeso, artis medicae studio-  
sus absque ista re vtraque effecere valet? Annon personam  
vel hominis leuis et circulatoris, vel empyrici, vel vtram-  
que





que simul agere coactus est? A vero, AMICE SVAVISSIME longe nomina haec detestanda a TE absunt ac TE terrent. Studium enim, operam ac laborem TVVM omnem in eo semper infumisti, vt non solum doctus, verum etiam probus euaderes artis medicae cultor. Quare nemo proborum atque eruditorum fuit, quin ab animo TVO singulari ac praeclaro, ab ingenio TVO eximio nil, nisi praestans et bonum expectare possit, talemque iam iam praeuideret, qualem nunc habemus. Praemia igitur digna iam accipis et in posterum in TE redundabunt cumulatissime. TE laurea meritissima cingit labor ac virtus. TIBI quoque semper seruabunt illam coronam. Sic perennabit felicitas TVA, sic eris medicus fortunatus. Cum aliquando fuerit firma felicitas TVA; nec obliuioni tradas amorem NOSTRVM; Sed absens quoque dilige amicum TVVM sincerimum. Dabam Ienae a. d.  
XXIX. Augusti CIOCCCLXXVIII.



MONSIEUR

Tous vos amis tachent de prendre part à l'honneur, qui vous arrive aujourd' hui, et qui vous est du. Souffrès donc,  
E que





que j'ose aussi vous presenter mes voeux et que je vous fasse publiquement connoître l'estime, que je fais de votre mérite. Je souhaite que vous jouissiez long tems du fruit de votre diligence: foyés le bonheur des malades, vivés toujours heureux, et ne refusez pas Vos bonnes graces à celui qui fait gloire de se dire

MONSIEUR,

à Jene  
ce 29. Août  
1778.

Votre très humble et très-  
obeissant serviteur.  
G. F. CHR. FUCHS.



PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE  
DOMINO DOCTORANDO

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.


S. S. B. FROMMANN

COBYRGO-FRANCVS, Med. Cult.

OPPONENS

Quum iam illuc, Amicorum optime! sis progressus, vt laurea doctorali ornatus, mox huic Athenaeo valedicas; nihil fane





fane magis in votis esse mihi potuit, quam vt, quanti TE faciam, publice testificandi mihi daretur occasio. Munere opponentis mihi oblato, quod pro singularis TVAE erga me amicitiae signo agnosco, ansam mihi praebuisti, TIBI de praestantissimi TVI ingenii specimine, de victoria, de honoribus, qui TE expectant, ex animo gratulari. Sis felix, semper contingat TIBI fortuna, vt sis solatium aegrotorum, omniaque conamina TVA felicissimum habeant euentum. Abi fortunatus in patriam TVAM, vigeas, floreas, valeas, et sis mihi, vt huc fuisti, in posterum etiam absens amicus.

Dabam Ienae die XXI. Aug. MDCCCLXXVIII.



VIRO CLARISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO  
DIGNISSIMO  
AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

IO. CHRISTOPH. FAHNER. VINARIENS.

Med. Cultor. OPPONENS.

**T**E cernens docta redimitum tempora lauro  
Audeo laetitiae iam dare signa meae.

Iure





Iure TVVM merito studium frons sacra coronat,  
Qua TVA doctrinae copia digna fuit.  
Laudo nempe TVI foecundi, laudo laboris  
Effectum atque decus, gratulor hocce TIBI.  
Si TIBI committunt morbi cruciatibus vsti,  
Ut medica morbos corporis arte leues,  
Omnia succedant, exopto, molimina fauste,  
Felicesque dies innumerosque trahas.













PICA









(5)

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
SPECIFICO ANTIPODAGRICO  
AMERICANO  
NVPERRIME CELEBRATO.

---

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO  
D O M I N O

C A I  
DVCE

D. CH  
SERENIS  
CONSIL.  
FACVLT.  
MOGV

P R O  
SVMNIS

CHR. C

O  
M

ER  
A  
RD.  
ET

S  
HIS

ICH

